



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

Honorius III.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)



ANNO  
1215.

per tinnerint, vobis duximus committendam : per Apostolica vobis scripta mandantes ; quatenus protinus omni appellatione postposita, procedatis sicut videretis expedire.

Excommunicatio specialis in Barones Angliæ.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

*Seruus Servorum Dei, Abbati de Abendune, Archidiacono Pictaviensi, & magistro Roberto Officiali Norwicensis Ecclesie, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

AD vestram volumus pervenire noticiam, quod nos nuper in generali Concilio constituti, excommunicavimus & anathematizavimus ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, ac nostra, Barones Angliæ cum adiutoribus & fautoribus suis, qui Joannem illustrem Regem Anglorum Cruce signatum & vassallum Romanæ Ecclesie persequuntur; molientes ei Regnum auferre, quod ad Romanam Ecclesiam dignoscitur pertinere.

Insuper excommunicamus, & anathematizamus omnes illos qui ad occupandum, vel invadendum Regnum ipsum, aut impediendum euntes in ejusdem Regis succursum, operam vel opem impenderunt.

Et terras eorundem Baronum Ecclesiastico subijcimus interdicto.

Aggravamus etiam in eisdem fortius manus nostras, si nec sic à suo destiterint iniquo proposito, cum in hac parte peiores sint Saracenis: decernentes, ut si quis Clericus cujuscumque dignitatis, aut ordinis prædictas excommunicationis aut interdicti sententias violare præsumpserit, anathematis se sciat mucrone percussurum: & ni quantocius respuerit, ab omni officio & beneficio deponendum.

Quo circa discretioni vestræ, per Apostolica scripta præcipiendo, mandamus quatenus per totam Angliam publicare faciatis præscripta: eademque faciatis auctoritate nostra, sublato, cujuslibet conditionis & appellationis obstaculo, inviolabiliter observari.

Volumus etiam nihilominus & mandamus, ut quosdam Barones Angliæ, quos venerabilis frater noster Wintoniensis Episcopus, & dilecti filii Abbas de Reding, & magister Pandolphus Subdiaconus & familiaris noster, delegati à nobis, excommunicatos personaliter nominaverunt, quia ipsos in præscriptis culpabiles invenerunt, videlicet, cives illos Londinenses, qui fuerunt principales prænominate perverfitatis auctores; & Robertum filium Walteri, S. Comitem Wintoniensem, R. filium ejus, G. de Mandevilla, & Willelmum fratrem ejus, Comitem de Clare, & G. filium ejus, H. Comitem de Hereford, R. de Percy, E. de Vescei, J. Constabularium Cestriæ, Willelmum de Mumbrey, Willelmum de Albineto, W. filium ejus, R. de Ros, & W. filium ejus, P. de Brus, R. de Cresci, Joannem filium ejus, Ranulphum filium Roberti, R. Comitem Bigod; H. filium ejus, R. de Ver, Fulconem filium Warini, W. Malet, W. de Monte acuto, W. filium Marefcalli, W. de Bello campo, S. de Kime, R. de Monte Begonis, Nicolaum de Stutevilla: nec non & alios in prædictorum judicium sententia nominatim expressos, cum complicitibus & fautoribus eorundem aucto-

ANNO  
1216.

toritate Apostolica excommunicatos per totam Angliam publicè denunciari faciatis: & ab omnibus arctius evitari, singulis diebus Dominicis & Festivis solemniter innovari, hujusmodi sententiam facientes ac denunciantes inviolabiliter observari: Civitatemque Londinensem Ecclesiastico suppositam interdicto; contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, magistrum etiam Gervasium Londinensem Cancellarium, qui sicut à iudicibus præfatis accepimus, dicti Regis, & suorum manifestissimus extitit persecutor, excommunicatum publicè denunciatis ac suspensum, graviore etiam pœna, nisi congruè satisfecerit, puniendum.

Quod si vos omnes, &c.

Datum Laterani, decimo septimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri: Anno decimo octavo.

HONORIUS III.

PONTIFEX CLXXIX.

ANNO DOMINI MCCXVI.

ANNO  
1216.

Honorius Romanus antea dictus Censius Sabellus, Innocentio successit anno 1216. A Scotis Anglis, & Francis haud pauca tributa exegit: S. Dominici ordinem Pontificiâ firmavit auctoritate, mox magistri sacri Palatii munus fundavit: Petrum Cortenæum Imperatorem Constantinopolitanam coronavit. Obiit anno 1227. (*Magni Bullarii Romani, Tom. I. hujus Editionis Luxemb. 1727. fol. 63.*)

Prælatos Hiberniæ arguit, quod pullulantem inter subditos hæresim tolerarent: anno 1219.

HONORIUS EPISCOPUS,

*Seruus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis & dilectis filiis cæteris Ecclesiarum Prælati, & capitali per Hiberniam constituti, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

EXPECTAVIMUS hætenus, expectantes si monitis & statutis concilii generalis, exculsa Domini Sabaoth vinea florisset, si Aaron virga turgentibus gemmis erupisset in flores & dilatatis foliis amigdala produxisset, si geminasent mala punica, & ficus produceret grossos suos: quia ficus præcoctas anima Sponhi desiderat & sponsa diligit botros cypri. Sed ecce dolentes dicimus ante messem seges effloruit, & vinea ferè rota & ficus ac virga magis aruit, & vindemiator manum ad carcillum non revocat: sed sic semper vindemiat, quod post vindemiatores racemos aliquos colligere vix valeamus. Nam unusquisque ferè in viam suam abiit, & ad suam negotiationem revolat à regiis nuntiis damnabiliter se excusans. Jam quidam ministri Altaris sicut jumenta non solum in stercore computrescunt; sed peccatum suum velut Sodoma prædicant, nec abscondunt, facti ruina & laqueus populorum. Quidam etiam Ecclesiarum Prælati, qui gladios ancipites in suis manibus acceperunt, ad faciendam vindictam & increpationes in populis, errantes non

I.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I.  
Col. 875.



corrigit, membra putrida non excidunt, à caulis oves contagiosas & morbidas non excludunt, vulnus, livorem & plagam tumentem non ligant, nec curant, neque fovent oleo vel amplastro: propter quod quia cicatrix populi non obducitur, in Galaad non censetur esse medicus vel resina. Proinde in consilium subditorum venire anima prælatorum convincitur, dum iidem proximorum vitis non resistunt: sicque manus mulierum misericordiam parvulos suos coquant. Hi etiam bona sibi commissa dissipant & consumunt, dispergunt sanctuarii lapides in capite omnium platearum, indignos promonent, perniciosos stipendia Ecclesiastica largiuntur, in suis Ecclesiis conventicula de sanguinibus congregantes. Tales utique non attendunt quod Eli filios suos palpans de cella retrosum cecidit, & principes populorum, quia non cohibebant Hebræos imitantes Beelphegor, & cum Madianitis in eorum oculis coëntes præcepto Domini suspensi sunt in patibulo contra solem. Quia cum de manibus Prælatorum negligentium sanguis requiratur pereuntium subditorum, dum fortioribus instat fortior cruciatus, sit durum iudicium eis qui præfunt. Claustrales quam plurimi qui fregerunt jugum, ruperunt vincula, quin etiam sicut stercus terræ jam contemibiles sunt effecti, se non corrigunt, subditos non castigant, capitula juxta concilii generalis statutum, non celebrant, ne in lucem prodeant opera tenebrarum & à lumine arguantur. Propter hæc siquidem hæreses invalescunt: quia cum perpauci hodie murus aeneus vel columna ferrea sint Prælati, vix est qui se opponat murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso: eo quod conscientia remordente, dum canes muti projectum in terra ramunculum in os habent, & sint quasi baculus arundineus jam contractus; nec latratu nec baculo arceat lupos dilacerantes Ecclesiam, & in ipsam ululatus validos emittentes. Cum igitur non possimus dissimulare de cætero vel conniventibus oculis pertransire tantum Cleri contagium & populi Christiani discrimen, quod procedit & proficit ex negligentia Prælatorum evacuantiem per incuriam & torporem sanctiones canonicas, & statuta salubria Concilii generalis, incruptionis securim comminantem excidium nunc radicibus infructuosæ arboris applicamus; confossæ ficulneæ conphinum stercoris apponentes antequam maledictionis gladio feriatur, & arceat, si fructum non fecerit in futurum quem jam diutius expectat. Quo circa universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus & districte præcipimus, quatenus præteritam negligentiam novo studio redimentes, per sollicitudinem geminam sic præfati statuta concilii, & illa præsertim quæ salutem respiciunt animarum, deinceps conservetis, & faciatis à vestris subditis inviolabiliter observari, quod possitis exinde laudem consequi, & æterna præmia promereri, nec quemquam vestrum pœnam oporteat formidare, ad quam ex nunc potenter accingimur, contra desides & remissos. Invigiletis autem propensius ad hæreticam pravitatem è vestris finibus, si forsan irrepserit, penitus extirpandam: quia serpit ut cancer, capita ut hydra multiplicat, & ut draco stellas de cælo detrahit, & mulieri tendit infidias, cupiens filium quem concepit devorare. Ponat etiam unusquisque gladium super femur per medium castrorum transiens de porta in portam, nec parcat fratri proximo vel amico, qui statutis concilii vilipensis morum vel vitæ abjicit honestatem, vel non observat in tonsura, vestibus, & aliis modestiam Clericalem. Præcaveantes sollicitè ne beneficia conferatis indignis,

nec quemquam permittatis habere plures perforatus, seu parochiales Ecclesias habitas post Concilium generale quibus cura sit animarum, annexa, nisi forsan super hoc habeat indulgentiam sedis Apostolicæ specialem. Abbates vero Nigri ordinis celebrare hoc anno provincialia concilia non obmittant, prout existit in præscripto Concilio stabilitum, & ut bonorum studium commendare possimus, & punire negligentiam perverforum, super hoc ab illis certiorari volumus & mandamus. Sanè cum olim vas aureum manna plenum Christi Corpus deitatem continens præfigurans, in arca federis auro testata infra Sancta sanctorum fuerit collocatum, ut munde in loco venerabili fervaretur; dolemus plurimum, & tristamur quod in provinciis sacerdotum sanctiones canonicas immò divinum iudicium contemnent. sanctam Eucharistiam incautè custodiunt & immundè & indevotè contrectant, quasi nec creatorem timeant vel recreatorem diligant, aut iudicem omnium expaveant: quamquam Apostolus terribiliter comminetur deteriora illum mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, vel sanguinem testamenti pollutum duxerit, aut spiritui gratiæ contumeliam fecerit, quam transgressores legis Mosaicæ, qui mortis sententia plectebantur. Ne igitur de cætero propter incuriam sacerdotum in indevotos divina indignatio gravius exardescat, districte præcipiendo mandamus, quatenus à sacerdotibus Eucharistia in loco singulari; mundo etiam & signato semper honorificè collocata devotè ac fideliter conservetur. Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cum in celebratione missarum elevatur hostia salutaris, quilibet reverenter inclinet, idem faciens cum ipsam portat Presbyter ad infirmum; quam in decenti habitu superposito mundo velamine ferat & referat manifestè & honorificè ante pectus cum omni reverentia & timore, semper tamen lumine procedente, cum sit candor lucis æternæ, ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujus mandati graviter punire non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram volunt effugere ultionem. Attendat igitur unusquisque ut sic mandatum nostrum juxta susceptum officium exequatur, quod nemo coronam ejus accipiat, vel de suo loco ejus candelabrum amoveri contingat, sed potius coronari gloria & honore.

Datum Viterbii XIII. Kalendas Decembris, Pontificatus nostri: Anno IV.

Ad Archiepiscopum Bituricensem, contra Judæos in Bituriâ novas synagogas constituentes.

## HONORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Bituricensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**P**ERVENIT ad audientiam nostram, quod Judæi in tua diocesi habitantes, synagogas de novo contra sanctiones canonicas construere præsumperint, idè fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, synagogas ipsas facias demoliri, fideles si qui se opposuerint; per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo.

Datum Lateranis XIV. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno IV.

I I.  
Ex Anecd.  
Martene  
Tom. I. Col.  
878.



ANNO  
1223.III.  
Ex Saracini  
noticie Ito-  
riche d'An-  
cona.Numerum Canonicorum Anconitanæ Ecclesiæ,  
duodenarium decernit.**HONORIUS EPISCOPUS,**  
*Servus Servorum Dei, dilectis filiis capitulo  
Anconitano, Salutem & Apostolicam be-  
nedictionem.*

**E**CCLĒSIARUM utilitati, tranquillitati con-  
sultur, cum numerus personarum Domi-  
no famulantium, cum eisdem facultatibus pro-  
vide coaptatur: cum ergo venerabilis Frater  
noster Anconitanus Episcopus Ecclesiæ nostræ  
facultatibus provida consideratione pensatis duo-  
denarium Canonicorum, numerum in eadem  
Ecclesia; Nos præcibus vestris benignum im-  
pendentes assensum, statutum, quod super hoc  
idem Episcopus fecit, providè factum esse, auc-  
toritate Apostolica confirmamus, & præsentis  
scripti patrocinio communivimus, statuentes,  
ut salvo Apostolicæ sedis mandato, nullus ad  
minorem numerum compellere.

Vos possit invitos, nisi ut excreverent ipsius Ec-  
clesiæ facultates, quod in eâ personarum numerus  
videretur merito ampliandus; Nulli ergo hanc pa-  
ginam nostræ confirmationis & constitutionis in-  
fringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis  
autem hoc attemptare præsumperit, indignationem  
omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pau-  
li Apostolorum eius se noverit incursum. Datum  
Laterani, prima Julii Pontificatus nostri: Anno  
octavo.

IV.  
Ex An ecd.  
Martene  
Tom. I. Col.  
929.Petit ab Episcopis Galliæ unam præbendam in  
singulis Ecclesiis Cathedralibus, & Colle-  
giatis.**HONORIUS EPISCOPUS,**  
*Servus Servorum Dei, Venerabilibus fra-  
tribus Archiepiscopis, Episcopis & dilec-  
tis filiis universis Ecclesiarum Prælati-  
bus per Regnum Franciæ constitutis, salutem  
& Apostolicam benedictionem.*

**S**UPER muros Jerusalem custodes positi,  
quanto eminentiore speculam dignitatis  
attendimus, tantè in eminentiori debito solli-  
citamur officii, ut vigilantia custodia nobis &  
aliis vigilemus, nobis quoque per meritum,  
aliis per exemplum, quatenus in conspec-  
tu Altissimi conscientiæ puritas conservetur,  
& in facie propriæ famæ integritas non læda-  
tur. Multum enim cedit ad commodum, ut &  
conscientiam fama non deserat & famam con-  
scientiam contemni non exponat. Sed potius mu-  
tuis promoveantur suffragiis & mutuis sibi pro-  
motionibus suffragentur: propter quod in ves-  
tibus Aaron mala punica cum tintinnabulis de-  
pendebant. Porrò dum attendimus, quid onus  
honoris exposcat, quid sarcina dignitatum de-  
sideret, multa nos cura sollicitat, multæ nos  
sollicitudinis urgemur instantia, qualiter Deo  
satisfaciamus & homini, & si non ut volumus  
& debemus, saltem prout permittitur & valemus.  
Sanè multos multotiens & audivimus &  
vidimus murmurantes propter expensas, quas  
venientes ad sedem Apostolicam faciebant. Sci-  
mus autem quid ex talibus inferebat præsum-  
ptio detractorum, quid labia dolosa, quid  
lingua magniloqua præferebant, cum nonnulli

sermone in publico monstrantes, & mittentes  
periculosius jacula in occulto, Romanam ni-  
terentur mordere Ecclesiam, parari non solum  
ea quæ vigor justitiæ, sed etiam quæ iudicium  
æquitatis, nec non benignitatis gratia consum-  
mabat suis loquutionibus depravare, præsertim  
apud eos, qui aures prurientes habebant &  
graves & erectas ad malum. Illos quoque in  
talibus frequenter experti fumus ostendere, qui  
missi procurare negotia, dum ea quæ illis ad  
necessarias deputabantur expensas, suis volup-  
tatibus applicabant, ad miserabile subsidium  
mendacii recurrentes, alienis moribus impinge-  
bant quod propriè defraudaverant. Quia verò  
in iis contra sedem Apostolicam detractionis  
obrepebat occasio; & Ecclesiis, & Ecclesia-  
rum Prælati, nec non & aliis videbatur im-  
minere gravamen; cum fratribus nostris dili-  
genter curavimus habere tractatum, quo stu-  
dio, qua cautela, secundum Deum & homi-  
nem inveniremus in talibus salubrem provisio-  
nis effectum; & tandem, prout Domino pla-  
cuit, communi, & unanimi deliberatione con-  
silio rem non novam, nec inexcogitatum præ-  
decessoribus nostris sumus aggressi, volentes  
quod illi salubri consilio providerent efficaci ope-  
re consummare, videlicet ut ad opus sedis Apo-  
stolicæ in singulis Cathedralibus Ecclesiis & aliis  
præbendalibus singulæ præbendæ reserventur,  
& interim donec id fiat competentes in eis re-  
ditus assignentur. In monasteriis verò, & cæ-  
teris domibus regularibus, ac aliis collegiatis  
Ecclesiis, nec non de bonis Episcoporum secun-  
dum facultates suas constituantur certi redditus  
præbendas æquantes, quorum proventus in com-  
mune recepti, tam in nostras quàm fratrum  
nostrorum necessitates, capellanorum, necnon  
cancellariæ, ostiariorum aliorumque sedis Apo-  
stolicæ officialium convertantur, ut sic & pro-  
videantur nostris in vitæ necessariis & gratis  
omnibus omnia pro quibuscumque venientibus  
negotiis ministrentur, nec sit qui per se, vel  
per alium, expresse, vel tacite, aliquid exigat,  
vel etiam sponte oblata recipiat, præter villæ  
reditum consuetum. Quod si quis Gieziacus tan-  
tæ cupiditati animam audebit exponere, tantæ  
pænæ duritiæ subiacebit, quod præter publi-  
cæ confusionis opprobrium, culpam in pena  
cognoscat. Quis igitur frater gratiæ, quis de-  
votionis filius, quis sponsi & sponsæ dilectus,  
ad huiusmodi stratum Ecclesiæ consilio & au-  
xilio non asurget? An non licet, non decet,  
non expedit, ut sic filiæ dextram porrigant ad  
subsidia matris, quæ occupationibus multis &  
magnis involvitur pro necessitatibus filiorum?  
Nonne id quam plures Ecclesiarum Prælati  
magnique testimonii viri tempore generalis Con-  
cilio sua dabant? Nonne ad id toto videbantur  
desiderio aspirare? Tunc tamen sedes Apo-  
stolica distulit, ne videretur ad hoc Concilium  
evocasse. Ne igitur tam pii, tam sancti pro-  
positi consummatio retardetur, per quod cres-  
cere poterit decor Ecclesiæ Dei, multaque sub-  
trahi occasio detrahendi: universitatem vestram  
monemus, rogamus, & exhortamur in Do-  
mino per Apostolica scripta vobis mandantes,  
quatenus ad executionem provisionis huiusmodi  
tam in Cathedralibus, quàm in aliis Ecclesiis,  
ut dictum est, impendentes sic opere ut operam  
efficacem; quod interprete facto monstretur  
quantum Domus Dei vos decor alliciat, quan-  
tum sponsi & sponsæ amor accendat, quan-  
tum multorum relevatio moneat, quantum  
que utilitas generalis inducat. Cæterum cum  
ad relevanda Ecclesiarum onera, & gravamina  
Prælatorum, prout possumus, intendamus, de

ANNO  
1225.



ANNO  
1226.

præbendis Clericis Romanis, vel aliis, à sede Apostolica concessa duximus providendum, ut postquam fuerint supradicta completa, cum eos vacare contigerit, ad proprias Ecclesias revertantur, ne si successivè conferantur extraneis, sicut aliquando consuevit, filiis Ecclesiarum, qui continuo servitio resident, redderentur inutiles, & voluntate quodammodo fierent alienæ.

Datum Lateranis v. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri: Anno ix.

V.  
Ex Archivis  
Ang. Rymer.  
Tom. I.  
pag. 285.

Ad Episcopos Angliæ, quod pecunias pro expensis Regis colligant.

HONORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, Archiepiscopis & Episcopis, & dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, & aliis Prelatis ac Rectoribus Ecclesiarum, in Hibernia constitutis, Salutem & Apostolicam Benedictionem.*

**N**ON leditur libertas Ecclesiastica set defenditur, si inde defensori ejus, statu rerum & temporum exigente, subsidium liberale exhibetur.

Cum ergo charissimo in Christo filio nostro, Henrico Regi Angliæ illustri, multa imminerent necessariorum onera expensarum, ac propter hoc sibi mandaverimus à Clero Angliæ subsidium exhiberi, universitatem vestram sollicitandam duximus & hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes quatenus, cum Regnum Hiberniæ ad ipsum pertinere noscatur, ac per hoc eidem incumbat defendere Ecclesiarum vestrarum libertates & jura, vosque deceat, sibi tamen exposcere videtur necessitas, liberaliter subvenire, collectam, pensatis singularum Ecclesiarum facultatibus, faciatis ad expensarum ipsius Regis onera supportanda. cum venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Dublini, voce aliquos vestros, prudentiæ ac probatæ fidei eligentes, qui pecuniam recipiant pro subventionem hujusmodi colligendam, eamque assignent, ipsi Archiepiscopo & duobus aliis qui ad hoc idonei videbuntur; per eos ad expensas ipsius Regis, quæ videbuntur ei & Regno suo magis necessariæ ministrandam.

Mandatum nostrum taliter impleruri, quod ipsum Regem ad vestram, & Ecclesiarum vestrarum favorem per hoc specialiter inclinetis, gratamque vicissitudinem ab eo expectare possitis tempore oportuno.

Nolumus autem quod exhibitio subventionis hujusmodi trahatur, ad consequentiam, vel præjudicium generet Ecclesiasticæ libertati.

Datum xv. Kalendas Februarii, Pontificatus nostri: Anno decimo.

VI.  
Has ex Archivis Casinensibus habet R. P. Bernardus Montfaucon in Diario Italico pag. 329.

Bullæ ubi Monasterium quoddam Constantino-politanum ad tribuit Monasterio Casinensi.

HONORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbatibus & Conventui Casinensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.*

**C**UM à nobis petitur quod justum est, & honestum, tam vigor æquitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii nostri ad debitum producat effectum, Cum

igitur bonæ memoriæ Benedictus tituli sanctæ Sufannæ, Presbyter Cardinalis, legationis exercens officium in partibus Romanæ, Monasterium Sanctæ Mariæ de Virgioti extra civitatem Constantinopolitanam infra duo milliaria situm, cum universis pertinentiis suis rationibus & proprietatibus auctoritate legationis ejusdem vobis, & per vos Monasterio concesserit Casinensi; ita tamen quod Monachi Græci commorantes ibidem per vos inde nullatenus expellantur; sicut in ejusdem authentico perspeximus plenius contineri; Nos vestris justis precibus inclinati concessionem ipsam, sicut proinde facta est, ratam habentes auctoritate Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare præsumperit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Anagnæ xiiii. Kalendas Junii, Pontificatus nostri: Anno primo.

GREGORIUS IX.

PONTIFEX CLXXX.

ANNO DOMINI MCCXXVII.

ANNO  
1226.ANNO  
1227.

**G**regorius prius Ugolinus appellatus, anno 1227. ad Pontificiam sedem est assumptus. Fridericum II. Imperatorem quod juramentum ab Italis posceret factis dimovit, à Romanis Civibus Duce Hunibaldo Romæ pulsus Regum Galliæ opem imploravit. Ejus iussu Raymundus Decretalium libros quinque ex prioribus compilationibus collegit anno 1230. vulgatos. Obiit anno 1240.

Mandat confirmari sententiam excommunicationis in ducem Britanniæ, & interdicti in terras ejus latam, & si non resipuerit vasallos ejus ab obedientia illi debita absolvi.

I.  
Ex Anecdor. Martene Tom. I. Col. 947.

GREGORIUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, Venerabili fratri M. Episcopo, & magistris de la Valle & R. de Danfront Canonicis Cenomanensibus, salutem & Apostolicam benedictionem.*

**S**I nobilis vir Comes Britannia potentiam recognosceret à Domino sæculorum, studeret utique ipsam in ejus beneplacitis exercere, diligendo justitiam, quæ diligit diligentes se, & sectando quæ ad omnia valet pietatem. Sed quod dolentes referimus, gratiæ gratis ingratus, quasi de industria recessit à Deo, nec attendens quod sit malum & amarum Dominum reliquisse, nec ejus apud ipsum esse timorem, cor suum contra ipsum pertinaciter elevavit, & spiritu ad superbiam obfirmato, se contra Omnipotentem patenter erexit, eique manifestè rebellans, non solum terendit contra eum damnabiliter manum suam, verum etiam alios ad rebellandum iniquis conjurationibus sibi colligans animavit. Cum enim sciat, vel scire debeat, quod unica CHRISTI sponsa cum sponso unum est corpus, nec alteri sine altero

in-